

tietas una; nec repugnat quod in ipso ultimo fine discendo sit diversus modus, et in ipsa satietate ex eodem objecto haurienda, sit diversus gradus, quia satietas per objectum, seu rem ipsam regulatur, a qua satiatur, non per modum habendi, ut optime dicit D. Thomas in hac quæstione v, art. III ad secundum.

XIV. Ad tertium respondetur, quod homo secundum sua naturalia non potest perfectam felicitatem habere, sed imperfectam, et quæ humano modo haberi potest, quæ consistit in operatione virtutis, tum intellectualis, tum moralis, ut ex Aristotele I ethic, docet S. Thomas III contra gentiles, cap. XLVIII, et in hac quæstione v, artic. v. Cæterum ea non potest perfecta esse beatitudo, quia non potest perfecte satiari totum appetitum, et desiderium, quod in infinitum extendi potest. Et id in quo satiatur, mille miseriis, et ærumnis hujus vitæ plenum est. Et tandem ipsa morte totum hoc finiendum est. Unde quantacumque prosperitate quis gaudeat, tamen ipse timor, et certitudo amittendi omnia per mortem, valde sollicitat, et inquietat animum possidentis, cum qua anxietate, et timore non stat beatitudo, quia est: Status omnium bonorum aggregatione perfectus: ergo non compatitur illud malum; aut si compatitur tale malum, beatitudo perfecta non est. Non ergo in pura natura, aut in hac vita potest perfecta beatitudo haberi, sed solum imperfecta, ex virtutum exercitio, et speculatione scientiarum; quia hæc maxime perficiunt nobilissimas potentias hominis, et id quod in illo supremum est, scilicet intellectus, et voluntas. Et sic concedimus, quod ille modus beatificationis naturalis ordinis, non est ipse Deus in se clare visus, sed aliquid infra Deum in se visum; non tamen ali-

quid infra Deum connotative, et imperfecte attactum, sicut cognosci potest in hac vita.

XV. Nec est inconveniens, quod natura ita nobilis, sicut humana, in sua pura natura non inveniatur finem perfectum, sicut aliæ naturæ inanimatæ habent, quin potius hoc maxime attestatur talis naturæ excellentiam, quod tantam habet amplitudinem, et tantæ capacitatis est, ut nihil naturale eam adimplere sufficiat, ut recte docet S. Thomas in hac quæstione v, articulo v ad secundum, nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio, ut philosophus dicit in secundo de celo, textu L, usque ad sextum sexagesimum.

XVI. His ergo præsuppositis circa beatitudinem objectivam, restant deinceps difficultates disputandæ circa beatitudinem formalem, seu adeptionem, et assecutionem hujus objectivæ beatitudinis, et circa conditiones, et statum illius. Et præcipuæ difficultates circa ipsam operationem sunt tres; circa statum vero et conditiones consequentes, aliæ tres. De ipsa operatione, est primo difficultas an possit esse operatio increata; an vero necessario debeat esse creata? secundo, an debeat esse elicitæ ab ipso operante vitaliter; an possit esse a Deo infusa, vel aliunde communicata: tertio, an sit operatio intellectus, vel voluntatis vel utriusque. Circa statum vero, et conditiones consequentes beatitudinem, est primo difficultas, an sequatur ad beatitudinem impeccabilitas, ita ut repugnet beatum peccare posse: secundo, an sequatur

inamissibilitas, et perpetuitas omnimoda, ita ut nec amitti possit, nec minui, nec augeri tertio, an sequatur necessitas in amore, et delectatione de Deo, ita ut tam in specificatione, quam in exercitio non possit cessare beatus ab illo amore. Istæ sunt præcipuæ difficultates circa beatitudinem in se. De aliis vero perfectionibus, sive quæ pertinent ad dotes animæ, sive ad dotes corporis gloriosi, aliquid breviter dicemus in ultimo articulo.

ARTICULUS II.

An possit beatitudo formalis consistere in operatione increata; vel illapsu divinæ essentiae in intellectum?

I. Supponimus beatitudinem non dicere perfectionem aliquam, seu formam per modum actus primi, sed per modum actus secundi, atque adeo non consistere in habitu, sed in actu. In quo quidem varie aliqui senserunt. Nam licet omnes existiment beatitudinem sine operatione non dari; non tamen æque existimant operationem constituere beatitudinem, aut ad eam pertinere, constat enim triplicem in hoc versari sententiam. Aliqui enim dixerunt beatitudinem formaliter perfici aut constitui quodam illapsu, et quasi transfusione Dei in ipsam substantiam animæ, qua illam deificat, licet præcedat operatio in anima, qua illum apprehendat. Alii putant consistere in habitu deificante essentiam animæ, et perficiente potentiam ad operationem. Alii denique communiter beatitudinem in ipso actu elicitæ ponunt, non in principio aliquo informante, vel elicente. Prima sententia tribui-

tur Henrico quodlib. XIII, quæstion. XII, et videri etiam potest quodlib. VI, quæst. VI, et in summa artic. XLV, quæstion. V, et articulo XLIX, quæstion. I. Ponit enim Henricus duas beatitudines: unam quasi viam ad alteram; ideoque minus perfectam, et hanc in operationibus intellectus, et voluntatis constituit. Aliam perfectam, et consecutam ad istam, quam ponit in illapsu quodam ipsius divinitatis, quæ est objectiva beatitudo, in essentiam, seu substantiam animæ, qua illam reddit deificatam, istamque secundam, principalem, appellat, et essentialem et sine ulla operatione fieri docet, per solum illapsum Dei in animam, ut videri potest dicta quæstione XII, et in summa articulo XLIX citato, immeritoque Vazquez hic disputat. VIII, capit. II, dicit Henricum, beatitudinem formalem in operatione constituisse, objectivam vero in Deo, qui illabitur animæ: cum constet Henricum hanc secundam beatitudinem, quæ fit per illapsum, principalem, et essentialem existimare præ illa, quæ fit per operationem, et ex illa deificatione illapsiva, dicit fieri redundantiam in intellectum, et voluntatem, ut intellectus illum sic intra se videat, et voluntas fruatur. Secundam vero sententiam docuit S. Bonaventura in IV, dist. XLIX, articulo I, quæstion. I, num. V, et quæst. IV, num. XVII, satisque eam insinuat in III, distinct. XIV, articulo I, quæstion. I. Non enim ponit beatitudinem in perfectione ipsius substantiæ animæ secundum esse, sed in potentia animæ conjuncta operationi, prout potentia unitur, et identificatur essentiae, ut quid substantiale. Tertiam denique sententiam docet S. Thomas in hac quæstione III, articulo II, cum communi theologorum, qui ipsum sequuntur ibi, et Magistrum in IV, dist. XLIX.

II. Et sine dubio hæc sententia tenenda est, ut conformior Scripturæ, patribus, philosophis, scholasticis, et rationi. Scripturæ quia frequenter explicat nobis futuram gloriam per operationem, scilicet per visionem, ut Matth. v: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*: et I ad Corinth. XIII: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: I Joan. III: *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*: Apocalyps. XXII: *Servi ejus servient illi, et videbunt faciem ejus*: et Joan. XVII: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi*. Accedit quod in definitione Benedicti XII qua definivit animas quibus nihil restat purgandum, statim videre divinam essentiam, determinat, tali visione, et fruitione fieri beatas. Verba pontificis sunt: « Quod post Christi Jesu passionem, et mortem viderunt, et vident, et videbunt divinam essentiam se bene, et clare, et aperte illis ostendentem, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur: nec non quod tali visione, et fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beatæ, et habent vitam æternam, et requiem. » Concilium etiam Florentinum definit in litteris unionis: « Animas hujusmodi nihil purgandum habentes, intueri clare ipsum Deum. trinum, et unum sicuti est; pro meritorum tamen diversitate aliam alia perfectius. » Communiter etiam patres, beatitudinem per operationem explicant. Nazianzenus oratione ad plagam grandinis: « Regnum cœlorum est contemplatio Trinitatis. » Ambrosius libr. II de officiis, cap. II: « Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit divinitatis. » Augustinus I de Trinitate, cap. VIII: « Hæc visio merces est fidei, cui

mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est: Mundans fide corda eorum: hoc autem probatur, illa maxime sententia: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. » Chrysostomus homil. IX in imperfectum: « In sæculo illo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, non in speculo, et ænigmate, sicut hic. » Et homil. LXXXI in Joannem: « Non dixit: Ut participent gloriam meam, sed ut videant, hoc occulte insinuans, quod omnis requies ibi est, Filium Dei videre. » Inter philosophos denique, Aristoteles perpetuo docuit felicitatem in operatione consistere, ut videri potest II physic. textu LVIII, I ethic. capit. VII et VIII, et X ethic. capit. VI. Imo et Dei beatitudinem in sui ipsius contemplatione consistere docuit X ethic. cap. VIII, textu xxx, et XII metaph. cap. VII, textu xxxix, et aliis locis.

III. Solum poterit aliquis hæsitare an propter definitionem supra relatam Benedicti, adjunctis locis Scripturæ allatis, sit censura dignum asserere, quod beatitudo formaliter non consistat in operatione, sed in aliquo illapsu Dei, vel informatione alicujus formæ. Negat Ægidius a Præsentatione tomo I de beatitudine, libr. IV, quæstion. IV, articul. I, §. III, numer. XI, et in specie, respondet loco allegato ex bulla Benedicti numer. XVI, quod solum intendit definire animas purgatas, ante resurrectionem corporum videre clare Deum; quod vero formaliter in operatione consistat beatitudo, non definit: alias definiret quod consistit beatitudo in duabus operationibus visionis, et fruitionis, quod nec Thomistæ admittent, nec Scotistæ.

IV. Ego vero existimo pontificis mentem non esse declarare, quam operatione determinate formaliter, et essentialiter beatitudo cons-

tituatur, an visione, vel fruitione, vel utraque simul; sed hoc opinionum varietati relinqui: sed in illis verbis ejus propriam mentem in eo sitam esse, quod vera beatitudo intra illas duas operationes invenitur, visionem, et fruitionem, non determinando quænam istarum operationum principaliter, et formaliter constituat beatitudinem, sed certum esse quod hoc ipso quod utraque habetur, vera beatitudo habetur per illas, non per aliquid extra illas, hanc enim vim habent illa verba: « Nec non quod tali visione, et fruitione, eorum animæ sunt vere beatæ: » nam ille modus loquendi significat vim causæ formalis, quia causa formalis per ablativum significatur, ut cum dicitur albedine fit album, humanitate fit homo: sic visione, et fruitione vere fiunt animæ beatæ, quia operatione fit anima beata, ad quam operationem pertinet visio, et fruitio. Nec tamen cum dicitur visione, et fruitione fieri animam beatam, ly et debet sumi copulativum, quasi ex æquo utraque concurrat ad constituendam beatitudinem: sed proportionate, seu juxta accommodam proportionem; sicut si dicamus, quod voluntate, et intellectu fit prudentia, aut electio, aut imperium, quia utraque potentia ad prudentiam requiritur, nec extra illas potentias invenitur: non tamen determinatur per quam potentiam ex istis principaliter, et formaliter fiat; una tamen concurrat formaliter alia præsuppositive, seu applicative, non utraque ex æquo. Sic ergo dicitur, visione, et fruitione fieri animam beatam; non quod ex æquo utraque concurrat, sed quia utraque requiritur ad beatitudinem, licet una formaliter, alia complete, et consequenter; vel una præsuppositive, alia formaliter, et sic non læditur per illam definitionem opinio Thomistarum, vel Scotista-

rum, quod consistat formaliter beatitudo in actu intellectus, vel voluntatis; sed directe definitur contra illos, qui censerent non fieri animas beatas per operationem visionis, vel fruitionis; illa enim verba, per modum definitionis ponuntur, quia eodem tenore currentis definitionis proferuntur, ut patet illis verbis: « Quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod tali visione, et fruitione fiunt animæ beatæ, » ubi ly quodque, necnon, etc. sunt particulæ ejusdem tenoris significativæ, et continuativæ.

V. At vero opinionem Henrici, qui absolute non negat operationem requiri ad beatitudinem, sed præsupponi, tamquam in operatione sit inchoata, et imperfecta beatitudo, perficiatur autem illapsu, seu deificatione Dei, non ita directe premit definitio Benedicti sed valde concutit; quia si illa operatio præcedens, in qua ponit imperfectam beatitudinem, vere constituit animam beatam, et illapsus solum consummat; aut complet quasi superaddendo, non opponitur definitioni, quia salvat quod animæ vere sunt beatæ illis operationibus visionis, et fruitionis: sed non scio an hoc sit ad mentem, et intentum Henrici. Si vero in illa operatione censet, adhuc animam non fieri vere beatam, sed disponi ut fiat per illapsum formaliter, et essentialiter, atque adeo vere, quia ubi est aliquid vere, est essentialiter, tunc opponitur definitioni, quia semper salvare debemus, quod visione, et fruitione vere fit anima beata; ergo vera beatitudo datur illis operationibus, ergo essentialis, quia veritas rei sive essentia non salvatur, et ubi salvatur vera beatitudo, essentialiter beatitudo deesse non debet.

VI. Ratio autem, et fundamen-

tum, cur beatitudo operatio sit, ponitur a D. Thoma in hac quæstione III, articul. II, quia beatitudo est ultima hominis perfectio, in ipso existens, sed perfectio est actus, cum nihil perfectum sit prout in potentia, sed prout in actu; ergo beatitudo est ultimus actus in ipso homine: sed operatio est ultimus actus, seu actus secundus operantis, forma autem est actus primus, et secundum illam potest aliquid esse adhuc in potentia, sicut habens scientiam est in potentia considerans, seu cognoscens; ergo non potest beatitudo esse actus primus, seu forma, sed actus ultimus, seu operatio.

VII. Sunt qui in hac ratione difficultatem sentiant, ut Ægidius a Præsentatione, ubi supra quæstion. IV, articul. I, §. IV, et efficacius probari putat ea ratione, qua usus est D. Thomas solutione ad primum, nempe quia beatitudo est vita; et non vita substantialis; ergo accidentalis: sed accidentalis vita est operatio; ergo beatitudo est operatio. Major constat, tum ex Scriptura, ubi beatitudo simpliciter nominatur vita, et vita æterna, ut Joann. X: *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant: Matth. XXV: Ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam: Joan. XVII: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, Deum verum, etc.* Tum etiam, quia Aristoteles, felicitatem dicit esse vitam, ethic. IX, cap. IX, et libr. I magnorum moralium, cap. IV: « Felicitas, inquit, in vivendo esse. » Minor vero est certa, quia substantialis vita consistit in ipso esse, et informatione animæ: esse autem, et informatio animæ non constituit aliquem beatum, cum hoc omnibus sit commune, nec tamen omnes beatitudinem habeant: et eadem ratione non est vita accidentalis, tamquam potentiæ, vel habitus,

quia potentiæ omnibus sint communes, et tam ipsæ, quam habitus solum informatione sui perficiunt, et receptione passiva, quod non convenit specialiter viventi, ut vivens est, ut mox dicemus. Consequentia vero patet, quia vita accidentalis est aliquis motus vitæ a vivente procedens, quod utique ad operationem, seu actum secundum pertinere debet. Ubi enim non est motus vitæ, videtur aliquis sensu carere, et vitalitate. Nec potest vita accidentalis consistere in receptione aliqua, vel informatione, cum hoc proprium, et speciale non sit viventium sic recipere formas, sed commune viventibus, et non viventibus, ut patet in aqua recipiente calorem, lapide recipiente albedinem, etc. Proprium autem viventium est movere se, quod utique fit per operationem. Operatio ergo vitalis motus, et accidentalis vita est procedendo a principio intrinseco se movente. Et sic cum beatitudo sit vita accidentalis, non substantialis, oportet quod formaliter operatio sit, quia formaliter vita est.

VIII. Nihilominus licet hæc ratio deducta ex vitalitate beatitudinis probet esse operationem, non tamen est alia a ratione D. Thomæ qui in corpore articuli, dum probavit beatitudinem esse operationem, quia est actus ultimus, supposebat id quod postea in solutione ad primum et ad tertium, explicavit, scilicet, quod beatitudo sit ultima perfectio in genere vitæ, et perfectio per modum actus immanentis, non transeuntis. Quod manifeste patet ex verbis corporis articuli dicit enim: « Quod loquitur de beatitudine secundum quod est aliquid creatum in homine existens, et quod beatitudo est ultima perfectio hominis, » utique in quantum homo est ipsum perficiens, et in eo existens. Quod si est perfectio hominis, ut homo

est; ergo ut rationalis, seu intelligens; ergo ut vivens; et sic est perfectio ultima in gradu perfectissimo vitæ, qui est intellectualitatis. Similiter si est perfectio in eo existens consummative, et perfecte, quia non consummatur ex se, sed tota ejus perfectio est in ipso homine; oportet quod talis operatio sit immanens non transiens, quia actio transiens licet oriatur ab operante, ibique actualitatem ponat, aut inchoet faciendum ipsum transire de otio in actum; tamen non consummatur actio in agente, sed in passo, seu objecto, ubi terminus ponitur. Et ideo si beatitudo est operatio tamquam ipsius hominis perfectio, ita quod in eo consummet totam perfectionem suam, quia ipsum beatificat et perficit, non aliud extra se, oportet quod sit actio, seu operatio immanens.

IX. Supposito ergo, quod ratio D. Thomæ etiam prout tradita in corpore articuli, procedit de operatione vitali, et immanenti, uti ex ipsis verbis elicitor, et in solutione ad primum et tertium expresse declaravit doctor sanctus non est efficacia hujus rationis distincta ab ea, quam ei superaddere vult Ægidius, ex vitalitate beatitudinis. Neque instantiæ quas contra illam affert ullo modo ea infirmant. Est enim duplex instantia. Altera contra majorem, quomodo beatitudo sit ultima perfectio: altera contra minorem, quomodo operatio sit ultimus actus. Nam beatitudinem esse ultimam perfectionem, aut est quia est maxima perfectio, et suprema; aut quia ultimo producta, et habita ordine generationis. Non primum, quia major perfectio est hypostatica unio: imo quælibet substantia est nobilior beatitudine, quæ est accidens. Non secundum, quia post operationem, in qua ponitur beatitudo, scilicet, visionem, restant aliæ perfectiones

secutæ, ut amor in voluntate, et ex amore delectatio, et ex omnibus illis impeccabilitas, perpetuitas, status omnium bonorum aggregatione perfectus; ergo non est ultimum ipsa operatio beatificans ordine generationis.

X. Contra minorem etiam fit instantia, quia operatio, si est transiens, non est ultima perfectio, cum transeat ad terminum, ubi terminatur et perficitur; sicut agrotus potionem sumens, non perficitur ultimate ipsa sumptione, sed ipsa sanitate. Si autem est immanens, in primis in quantum actio producit terminum, ut cognitio notitiam, seu speciem expressam, amor impulsus: deinde una operatio immanens disponit ad aliam, ut cognitio principiorum ad conclusionem; volitio finis ad media; cognitio ad voluntatem; dilectio Dei ad habendam gratiam, in qua consummatur justificatio: ergo etiam visio beatifica ad illapsam divinitatis, in quo perficietur glorificatio.

XI. Hæc tamen nihil evincunt. Dicimus enim beatitudinem dici ultimam perfectionem, seu actum, non in genere entitatis, et perfectionis absolute; sic enim maxima perfectio est hypostatica unio, quia est summa Dei communicatio, cuius tamen capax est, non solum creatura rationalis, sed etiam irrationalis: et similiter esse substantiam est perfectio communis rei animatæ, et inanimatæ; sed dicitur perfectio ultima in genere rationali, seu intellectuali, sive in genere finis assequibilis, sic enim beatitudo est ultima perfectio in assecutione finis rationalis; signanter enim dicit D. Thomas quod est ultima hominis perfectio, id est, in quantum homo, et in quantum vivens vita intellectuali: sic enim distinguitur a fine ultimo rei non viventis, qui est quiescere, ut lapis in centro, et a

perfectionibus quæ sunt communes viventi, et non viventi, ut unio hypostatica, quæ non est assecutio finis ultimi, licet sit summa Dei communicatio entitativa et substantialis. Rursus est ultima perfectio via generationis, essentialiter ultima, non accidentaliter, seu consecutive. Dicitur ultima essentialiter specificativa, illa quæ per se et formaliter, seu ex specie sua assequitur finem ultimum, et constituit speciem beatitudinis. Dicitur ultima accidentaliter, quæ consequitur ad istam speciem, ut ornatus seu accidens, vel status ejus; si quidem supponit jam consecutum ultimum finem, et hoc est essentialiter hominem esse in ultimo; exinde vero sequitur aliquid quod pertinet ad statum, seu ornatum talis consecutionis, et hoc dicitur ultimum accidentaliter, quia est consecutum, et posterius tamquam accidens, et ornatus illius. Denique dicitur actus ultimus, quia non est amplius reducibilis in alium actum, sed potentialitas formæ, et actus primi ibi sistit; operatio enim non est ulterius operativa, sed quilibet actus primus est reducibilis in actum per operationem, ut statim amplius dicetur.

XII. Ad secundam instantiam dicitur, quod actio transiens non est perfectio, et actualitas simpliciter, sed per modum viæ, et tendentiæ, vel motus ad terminum producendum, ideoque non potest appeti ut perfectio, et consecutio finis ultimi, quia in tali actione non sistitur, sed in ejus termino; si quidem actio illa non quæritur propter se, sed propter terminum, qui producitur per ipsam. Et sic non loquimur hic de actione transeunti pro beatitudine formali, sed de immanenti, ut expresse S. Thomas dixit solutione ad secundum citata in articulo primo, quæstionis primæ. Quod vero dicitur etiam actionem immanentem pro-

ducere terminum, dico non esse de ratione actionis immanentis, quatenus immanens, producere terminum, licet hoc etiam possit ei competere, sed de ratione actionis immanentis, quatenus immanens est, attingere objectum, et potentiam ponere in actu in ordine ad se. Et sic proprius ejus terminus productus, sed terminus objectus, et circa hoc præcipue ordinatur. Quod vero terminum aliquem producat non per se, et per locum intrinsecum requirit, licet etiam aliquando id habeat, quia actus secundus, et operatio est. De quo sæpius a nobis tractatum est ut in quæstione XIV physicorum, in libris de anima, q. XI, in primo tomo. i. p. disput. XIII et II tom. disp. XII, art. IV et V. Quare cum actus immanens per se respiciat terminum objectum, non terminum productum, non est per se actio per modum viæ, et tendentiæ, sed per modum ultimæ actualitatis intentæ, quia per se intenditur actu scire propter se, et actu amare, vel delectari propter ipsum delectari in actu: imo in his operationibus immanentibus ipsum esse in actu circa objectum, maxime intenditur, et ibi sistit potentia non in producere; quin potius si aliquid producit, est propter ipsum actum immanentem: sicut si intellectus producit verbum, seu speciem expressam est ut in ipsa objectum contempletur, et sic ultimo intentum est contemplari; sicut in voluntate delectari, et frui, non ipsum terminum, qui est impulsus, producere; sed si iste producit, est propter illud delectari.

XIII. Ad id vero quod dicitur, quod unus actus sequitur post alium, fatemur; nec in hoc sensu dicitur operatio, vel beatitudo, actus ultimus, quia non detur alia operatio elicit a potentia, sed quia operatio non est ulterius actuabilis, et reducibilis in alium actum, sicut est ac-

tus primus, et sic quia est actus secundus perficit, et actuat primum, et reducit ipsam potentiam ad actum, et in hoc sistit tota reductio de potentia ad actum, scilicet, de actu primo in secundum formaliter loquendo, ita quod non datur aliud genus reducibilitatis in actum tertium, qui operatio non sit, sed ultimum genus actualitatis in quam reducitur omnis potentialitas, et actus primus, est operatio; intra hoc vero genus plures actus esse possunt, sed tamen omnes ejusdem generis sunt, scilicet operationes. Et tamen operatio illa, quæ est beatitudo, dicitur ultimus actus etiam in alio sensu, quia assequitur ultimum finem ut dictum est. Quod vero postea sequantur alii actus, non facit quod ille prior non sit ultimus circa assecutionem finis, quod est ejus objectum; licet per modum complementi, aut ornatus non per modum assecutionis, postea alii sequantur.

XIV. Et ad illam paritatem, quod aliqui actus ordinantur ad assecutionem gratiæ, ad quam disponunt; ergo etiam visio poterit ordinari ad illapsam divinitatis, respondetur nullam esse paritatem, quia actus disponentes ad gratiam convertunt nos ad Deum, immutant voluntatem nostram, ut Deus convertatur ad nos, et participes nos faciat suæ communicationis, quæ est gratia, ut per eam habeamus semen gloriæ. At vero visio est ipsa tentio, et assecutio Dei, quia intellectus per visionem intra se habet Deum, videns illum sicut est in se, et inde sequitur fruitio in voluntate. Unde ulterius non est necessarius aliquis illapsus intra animam, ut sequenti articulo dicitur, quia illa visio sine alio illapsu intra intellectum est sufficiens, ut sequatur fruitio plena in voluntate; nec apparet quem effectum faciat præter visionem, il-

lapsus et divinizatio (ut ita dicam) in animam, quo reddatur beata.

INCREATA OPERATIO NON POTEST COMMUNICARI CREATURÆ, ET REDDERE ILLAM FORMALITER BEATAM.

XV. Supposito quod beatitudo formalis debet esse operatio, restat inquirendum, an hæc operatio debeat necessario esse operatio creata; an vero possit ipsa increata operatio Dei communicari intellectui, aut voluntati creatæ, eamque reducere operantem, sive intelligentem, sive volentem. In quo fuit opinio Joannis de Ripa, quem citat Capreolus in III, distinct. XIV, q. I, art. I, quod non solum de possibili, sed de facto anima Christi videt Deum, per ipsam visionem divinam. Cui multum accedit, imo expresse idem docere videtur, Hugo de Sancto Victore III tomo in tractatu de sapientia animæ Christi, et in summa sententiarum, tractat. I, cap. XVI, priori enim loco dicit: « Quod beatitudo nostra accidens non est, sed ipse Deus est sapientia, qua cognoscimus, et amor quo diligimus. » Posteriori docet: « Quod alia sapientia, quam divina, non fuit in Christo. » Eandem sententiam quibusdam suo tempore placuisse docet S. Bonaventura in III, distinct. XIV, artic. I, quæst. I, eamque publice Parisiis fuisse defensatam, refert Gregorius in II, dist. VII, q. II.

XVI. Hæc sententia aliqua argumenta habet ad probandum hoc esse possibile, seu non repugnare, quæ difficultatem aliquam faciunt. Ad probandum vero id de facto sic dari, aliquibus auctoritatibus, et inconvenientibus nititur, quæ parum habent momenti, licet multis, et prolixis obscuritatibus a suis auctoribus involvantur. Fundamentalis